

monstrativæ atq; resolutivæ methodo addunt methodum definitionis & divisionis.

8. Nam definitio non est methodus cum illatione necessaria, sed simplex quædam essentialis expressio. Nec enim in ea processus fit & illatio à parte nota ad partem ignotam, quia tota tanquam unum pronunciatur sine dictione conjunctiva, quæ præ se fert multitudinem: nec à re definita nota ad definitionem ignotam, quia esset processus ab eodem ad idem: nec à definitione ad essentialiam & quidditatem definiti cognoscendam, quia si quidditas est ignota, eam ipsa definitio significat ignotam, quippe quæ à quidditate non differt, nisi ut significans à significato: nec deniq; à partibus definitionis præcognitis ad totam definitionem collectam: quia partes notas in unum colligere, non est per illationem procedere à noto ad ignotum, sed ab eodem ad idem: Totum enim non differt à partibus suis simul sumtis.

9. Nec divisio est methodus, ut aliqui ajunt, utilis aut ad venandas definitionis partes ignotas, aut ad notificandum specierum numerum ignotum.

10. Utilis methodus divisiva non est ad indagandas definitionis partes ignotas, quia non habet vim illationis. Nam si ad investigandam hominis definitionem per methodum divisivam genus ejus notum dividatur per differentias notas, syllogismus inde factus aut pravus est, & nihil concludit; aut si bonus est, non concludit id, quod concludendum est. Sic si divido corpus per animatum & inanimatum in sensibile & non sensibile; sensibile per rationale & irrationale in hominē & brutum, positaq; minore propositione: Omnis homo est corpus: volo concludere, quod Omnis homo sit animatus, aut dicendum est: Omne corpus est animatum: quod est falsum: aut: Quoddam corpus est animatum: & ex majori particulari non concluditur: aut: Omne animatum est corpus: & ex syllogismo affirmativo in secunda figura nihil sequitur. Quod si syllogismus sic concludit: Omne corpus est animatum: Omnis homo est corpus: Ergo vel animatus vel inanimatus: concludit quidem, sed non propositum. Et propterea recte Aristoteles divisionem vocat *μικρόν τι μέρος μεθόδου καὶ ἀσθενῆ συλλογισμόν*, id est, parvam quendam particulam methodi & infirmum syllogismum. I. prior. 31. Et concludendum est, hanc propositionem: Omnis homo est animatus: non esse notam per divisionem, sed per se ipsam, quia absque ul-

lius